M Stange

[illegible]

orri.

Ankündigung

der

öffentlichen Prüfung

und der mit derselben verbundenen

Schulfeierlichkeiten,

welche

Freitag den 7. und Sonnabend den 8. April 1843

in dem

hiesigen Friedrichs-Gymnasium

Statt finden werden,

und zu welchen

alle Gönner und Freunde des Schulwesens

hiermit ergebenst einladet

Dr. Ernst Friedrich Poppo,

Director des Gymnasiums.



Hierbei eine Abhandlung:

De discrepantia quadam inter sermonem Ciceronianum et Livianum,

von dem Prof. J. C. M. Stange.



Frankfurt a/O.,

gedruckt bei Trowitzsch & Sohn, Hofbuchdrucker.

De
Discrepantia quadam inter sermonem Ciceronianum et Livianum.

Quam difficile sit discipulis de arte et indole sermonis latini recte praecipere omnes expertos esse credo, quibus haec provincia in scholis tradita est. Nam praeterquam quod maximae operae est et assiduae diligentiae ita in naturam alieni sermonis penetrare, ut quid rectum ac pulcrum sit facile sentiatur, ingens difficultas oritur, quod inter ipsos scriptores latinos, qui optimi esse putantur, tanta orationis varietas cernitur, ut, si alterum sequaris, alterius auctoritatem aut neglexisse aut reiecisse videaris. Inter hos quidem omnes unus et eloquentia et elegantia verborum et studio sermonis latini excolendi tanto opere excellit, ut non desint, qui hunc unum non solum prae ceteris sed etiam contra ceteros sequendum esse censeant; praesertim quum hic idem tam vario orationis genere usus sit, ut vix ullum restet, cuius exempla ille nobis non proposuerit. Neque ego, si quis solum Ciceronem in omni orationis latinae genere spectandum esse contendat, magno opere adversor. Nam ex eius aequalibus neque Caesarem neque Sallustium discipulorum imitationi commendare possumus, non quo libri eorum ipsi spernendi sint, sed quod alter consulto negligens, alter nimis artificiosus est. Quod si proximam literarum romanarum aetatem comparaveris, qua ars poetica ad tantum fastigium elata est, quantum Romanis attingere licuit, in solutae orationis scriptoribus plura iam invenies, quae ab antiquorum et simplicitate et gravitate abhorreant. Quamvis enim et ille, qui in civitate tum primum locum tenebat, et eius amici multique viri docti summum studium in literis artibusque colendis ponerent, una tamen deerat civitatis libertas, quae, ut maximi momenti fuerat in sermone latino fingendo, ita nulla neque arte neque diligentia compensari potuit. Inde fit, ut, si a Ciceronis libris ad proximae aetatis scriptores progrediamur, ex foro romano et adspectu civium de orbis terrarum fortuna deliberantium in cubiculum principis omni quidem instrumento luxuriae atque amoenitatis exornatum, sed idem libero sermone destitutum nobis intrare videamur. Sed in horum scriptorum numero etiam Livius est, cuius libri non modo propter elegantiam sermonis et artem historicam rerumque ipsarum, quas exposuit, amplitudinem, sed etiam propter multitudinem voluminum, qua inter aetatis illius scripta excellunt, digni habiti sunt, qui a discipulis studiose legantur. Sed quum plerique literarum ludi per totam fere patriam nostram ita instituti sint, ut et Cicero et Livius a pueris eiusdem ordinis eodem tempore legantur, id quod aliter fieri vix potest, atque illa discipulorum aetas in primis idonea sit, qua in oratione latina fingenda non solum gram-

maticorum praecepta sed etiam veterum scriptorum exempla sequantur, verendum est, ne in primo introitu eloquentiae haereant incerti, utrum imitandum sibi proponant. Nam quod in ordinibus inferioribus Eutropio et Aurelio Victori et, si dis placet, ipsi Justino operam dant, id non tanti momenti est, ut oratio inde magnum detrimentum capere videatur. Ad multorum autem exempla orationem ita conformare, ut, ubi inter se non consentiant, modo hunc modo illum sequaris, vix ferendum videtur, nisi discrepantiae et causae et rationes antea perspectae sint. Quam ob rem quum hoc munus mihi mandatum sit, ut et utrumque scriptorem discipulis interpretarer et latine scribendi artem docerem, saepe mecum reputavi, quo modo fieri posset, ut ex utroque exempla, quibus illi ad imitandum uterentur, repeterem. Id quidem statim videbam omnium primum comparationem orationis utriusque accuratam esse instituendam; nam nisi cognita prius discrepantia, si qua est, delectus fieri non potest. Sed quam difficilis haec res sit neminem fugiet. Nam quamvis iam a pluribus viris doctis in libris grammaticis multa conquisita sint, in quibus Livii usus cum Ciceronis sermone non convenit, haec tamen pro illorum virorum ratione aut ad singulorum verborum usum solum spectant, aut in pluribus libris tam dispersa sunt, ut non parvi negotii sit ea colligere. Livianam orationem Drakenborchius quidem multis locis optime explicavit, sed idem, praeterquam quod sua ratione ductus aliorum scriptorum usum minus comparavit, id potissimum curavit, ut iudicium suum de veris Livii verbis confirmaret. Restat igitur ut diligenti lectione omnia ea conquiramus et eligamus, quibus orationis discrepantia inesse videatur. Quod, quum per se haud facile sit, difficilius fit, quum illi scriptores non in eodem genere orationis versentur. Multa enim historicum decent, quae ab oratoris atque philosophi more abhorrent. Cavendum igitur est, ne eam, quae argumenti dissimilitudo est, ingenio artique scriptoris tribuamus. Reperiuntur quidem etiam in Ciceronis libris multae rerum narrationes, quibus et in orationibus causam explicat et in epistolis aut Atticum aut alium ex familiaribus de rebus Romae aut a se gestis certiorem facit, sed tantum abest ut cum continua rerum gestarum expositione eas comparare possimus, ut ex iis ipsis quid inter genus oratorium et historiam intersit appareat. In orationibus enim quum causas explicat easque res accuratius enarrat, quibus aut reorum crimina confirmantur aut innocentia demonstratur, Cicero non id agit, ut veram ac plenam imaginem rerum gestarum proponat, sed ut iudicum animos moveat et aut indignationem aut misericordiam aut iram excitet. Multa igitur omittit, alia copiosius persequitur, interdum non dubitat quin vera falsis misceat. Ipse illas *narrationes credibiles nec historico, sed prope quotidiano sermone explicatas dilucide* dicit. (Or. 36.) Epistolarum quidem alia ratio est, sed ea non minus ab historiarum scriptore aliena. Nam quamvis in iis ad amicos haud raro res aut Romae aut in provincia gestas accuratius perscribat, eaedemque nobis quidem fontis purissimi et uberrimi instar sint ad res Romanas illius aetatis cognoscendas, magno opere tamen earum sermo ab historico genere differt. Nam quum auctor earum res per se non exponat, sed aut sui ipsius aut eorum ad quos epistolae datae sunt rationem semper habeat, fieri non potest, quin animi quadam commotione aut ad oratoris gravitatem aut ad amici sermonem familiarem ducatur. Prae-

terea omnibus fere epistolis ironia quaedam adspersa est, qualis eius viri animo inesse solet, cui res quae commemorantur vehementer displicent. Perpaucae tantum, quas publice ad senatum ex provincia misit, magis ad ipsam rem quam ad scriptoris animum spectant. In Livii contra libris ex antiquorum more haud paucas orationes easque interdum satis copiose expositas inveniri constat, sed ne in his quidem comparationis cum Cicerone locus. Livius enim in orationibus referendis Graecorum magis quam Romanorum usum secutus omni illo ornatu de industria abstinet, quo Ciceronis orationes abundant. Quin omnem eloquentiam, qua continua eius narratio exornata esse solet, subito deserere videtur, quotiescunque verba ipsa oratoris alicuius reddit. Quae quidem res ei minime vitio verti potest, quippe qui etiam in orationibus non suis, sed ab aliis habitis officio summo historici scriptoris fungatur, ut res gestas referat, h. e. argumentum orationis exponat, verba minus necessaria omittat. Huc accedit quod Livius in illis orationibus alienam personam suscepit, cuius moribus consentaneas eas fingit, ita ut non eandem in omnibus eloquentiam invenias; nam quod tribunum seditiosum concionantem decet, idem Appio aut Fabio aut Catone prorsus indignum est.

Exclusa igitur comparatione eius artis, quae utrique scriptori propria est, quod tamen vereor ut omnibus locis fieri possit, quum eorum orationem comparaturi sumus, ad tres maxime res animus videtur esse advertendus. Primum enim discrepantia esse potest in vocabulis ipsis eorumque significatione, deinde in verborum inter se coniungendorum et quasi struendorum usu, quam vulgo constructionem appellant, tum in eorum collocatione. Quod quo facilius intelligatur unius cuiusque generis exempla pauca addam. Primi igitur est, quod Livius particula *et* saepe aliter utitur atque Cicero, quod apud eundem frequentissimus usus est particularum *utique, ceterum,* quorum loco Cicero plerumque aliis particulis *certe, quidem, sed* utitur, quod significatio verbi sive *incedendi*, sive *incessendi*, qualis in his est: *timor patres incessit* in Ciceronis libris non invenitur. Ad alterum genus referendum esse censeo, quod Livius verba *ut qui* saepe coniungit *(ut qui neque populi iussu neque auctoribus patribus regnaret* I. 49.*)*, Cicero *quippe qui, utpote qui,* scribere solet; quod apud Livium verba *nihil aliud* sequitur particula *quam* (perpaucis locis exceptis, ex quibus hic est: *nihil aliud a caede ac dimicatione continuisse homines, nisi patientiam magistratuum.* XXV. 4), apud Ciceronem *nisi;* quod eorumdem verborum apud illum singularis usus est, ex quo plane in adverbii alicuius significationem transeunt, cuius modi haec sunt: *Is nihil aliud quam hoc narrasse fertur* II. 32. (h. e. hoc solum narr. f., nam post verba *nihil aliud* neutiquam ex iis quae sequuntur verbum *narrasse* cogitatione petendum est, sed aliud quoddam verbum *fecisse, egisse*); *ventrem nihil aliud quam datis voluptatibus frui.* ibid., *nihil aliud quam in populationibus res fuit* II. 49.; Cicero contra hoc fere modo loquitur: *nihil aliud fecerunt nisi rem detulerunt Rosc. Am.* 37. Huius loci etiam est usus particularum *ita ut,* in quo hi scriptores singulari modo inter se differunt, ita ut uterque alteram rationem frequentissime usurpet, altera plerumque abstineat. Apud Ciceronem nihil frequentius est huiuscemodi enunciatis: *ita triumpharunt ut ille pulsus superatusque regnaret.* p. l. Man. 3. *bonis autem*

ita molesta (dominatio) ut tamen sine pernicie. ad Att. II. 21. Apud Livium rara huius generis exempla sunt ut l. III. 20: *non ita civitatem aegram esse, ut consuetis remediis sisti posset.* XXIII. 3. *sed ante omnia ita vos irae indulgere oportet, ut potiorem ira salutem atque utilitatem vestram habeatis.* XXIV. 29. *quod Carthaginiensibus ita pax negari possit, ut non utique in praesentia bellum cum iis geratur.* Contra Livius iisdem particulis hoc modo uti solet: *haec omnia ut invitis ita non adversantibus patriciis transacta* III. 55. extr., cuius modi exempla in Ciceronis libris haud multa invenies.

Tertium genus est collocationis verborum. Hoc solum, quum viderem maioris operis, quam ut ego praestare possem, esse omnia complecti, accuratius tractandum mihi proposueram; sed quum corporis universi tum oculorum in primis valetudo, quae lucubrationes molestissimas reddit, etiam ab hoc consilio ita me revocavit, ut partem tantum aliquam attingendam mihi esse putarem. Verborum collocationem in comparanda duorum scriptorum oratione maximi momenti esse eamque eo magis dignam, cuius rationem habeamus, quo magis color totius orationis ex ea pendere videatur, non est quod moneam. Primum igitur omnium videtur constituendum esse, qui Ciceronis usus fuerit in verbis collocandis. In qua quidem re praeceptorem praestantiorem invenire non possumus quam Ciceronem ipsum, qui in libris rhetoricis, in primis in libris de Oratore (III. 43.) et in eo qui Orator inscribitur (c. 70.) plura de eadem re docuit. Sed haec, quamvis plane non spernenda sint, magis tamen ad ornatum oratorium pertinent quam ad ipsum sermonem, atque ideo ad nostram rationem minus apta sunt. Nihilo minus quum haec res iam inde ab antiquo tempore omnium fere, qui de oratione latina praeceperunt, opera curaque tractata sit, eo magis breviores esse possumus, quo magis in libris grammaticis, quibus utuntur discipuli nostri, ex oratione Ciceroniana praecepta repetuntur. Hoc unum tantum monemus, id quod a multis iam commemoratum est, Ciceronem in omnibus libris suis oratoris partes egisse, qui in verbis et eloquendis et coniungendis non tam eorum, qui scripta legerent quam eorum, qui dicta audirent rationem habuit, eamque rationem etiam ad ea scribendi genera transtulisse, quae ab arte oratoria magis videntur esse remota. Ita factum est, ut et omnes verborum complexiones magis contortas vitaverit et sono magis, qui in pronunciando auribus percipitur, quam artificiosa verborum collocatione, quae legentium aut oculis cernitur aut cogitatione animadvertitur, animi sensum expresserit neque unquam, nisi certa de causa usitatum verborum ordinem mutaverit. Quae ratio quum pereunte civitatis libertate paulatim evanesceret, quum alii, qui postea vixerunt, scriptores tum Livius structura verborum artificiosiore utuntur, dum et ea, quae oratores ipso vultu orisque habitu exprimunt, verborum ordine declarare student et non tam in simplicitate orationis quam in varietate pulcritudinem aucupantur. Quo studio quum etiam poetae ferantur, plerumque grammatici rerum similitudine ducti poeticam verborum structuram Livio plurimisque scriptoribus argenteae, quam dicunt, aetatis attribuunt. Huic quidem rei ego non adversor, dummodo ne quis illos scriptores aut poetas imitatos esse aut consulto poeticum colorem libris suis adspersisse affirmet. Quamquam enim Livii oratio, praesertim in primo Annalium libro, nonnumquam vere poetica est,

magis tamen in ipsa re hoc positum esse censeam quam in solo verborum ornatu. Nam, dum aut in fabularum antiquarum explicatione sermonem antiquum aemulatur, aut in proeliorum narratione animum legentium in medias res a viris fortissimis gestas secum rapit, ipse ad poeticam orationem ducitur, id quod etiam aliis historiarum scriptoribus accidit. Sed ab hoc orationis genere ornatus ille, qui ex sola verborum collocatione oritur, plane videtur esse diversus.

Iam vero, ut ad propositum veniamus, per singulas sermonis latini partes videamus quo modo Livius ab antiquiore illa verborum collocandorum ratione, qua Cicero usus est, discesserit a nomine substantivo et adiectivo exorsi.

Inter nomen substantivum et adiectivum a Cicerone frequentissime aliquot verba collocantur, quae aut alterum aut utrumque accuratius definiunt, aut notionem aliquam necessariam addunt, aut soni asperitatem mitigant. Huius modi verba sunt nomina substantiva in casu genitivo posita sive per praepositiones adiuncta, aut alia quae facillime subtantivo adiiciuntur notionemque eius quodam modo complent. Exempla huius notissimi structurae generis sunt: *summa erga te studia; tua erga me voluntas; aliquam in tuis literis et nostrae necessitudinis et reipublicae causa gratulationem exspectavi; tanta animi magnitudine* (Ep. ad Fam. V. 7.); *huius auctoritatem loci* (p. l. Man. I.); in quibus tamen, si plura verba substantivum ab adiectivo disiungunt, de industria notiones utriusque vocabuli, praecipue adiectivi, augentur, id quod ex tertio exemplo perspicitur. Apud Livium hic usus multo latius patet, nam hic praeterquam quod eadem ratione utitur qua Cicero, cuius rei exemplum est: *intestino inter patres plebemque odio* II. 23., et talia verba, quae a Cicerone aut nunquam aut raro interposita invenies, saepe adiicit et sine ullo consilio, nisi forte eo, ut varietas orationis efficiatur, alia, quae ad augendas notiones nihil valent, inculcat. Illius generis ea est collocatio, qua verba in casu ablativo posita sive alia, quae per se substantivis adiungi nequeunt, interponuntur. Interdum quidem idem ab ipso Cicerone factum est, sed quantum equidem video, non facile nisi certa de causa. Sic in verbis: *ceterorum hoc anno comitiorum dominus* Verr. A. I. 9. *hoc anno* videtur illo loco positum esse, ne aures ingrato sono vocabulorum similiter exeuntium offenderentur. Contra apud Livium talia: *tantum veterani* robore *exercitus rex Romanus vicit* I. 15. *iusti* more *belli* ibid. *ipse testes honestarum* aliquot locis *pugnarum cicatrices adverso pectore ostentabat* II. 23., in quibus verbis casus ablativus a. l. e notione verbi pugnandi, quae in vocabulo *pugnarum* inest, pendet neque alio loco poni potest; sed tota structura vitabatur, si scriptor pronomine relativo usus fuisset, id quod a Cicerone fieri solet. (Ceterum eadem verba docent Livium, quamvis diligentissimus harum rerum sit, ambiguitatem sensus tamen non plane evitasse, quum ex ordine verborum saltem non perspicuum sit, utrum *adverso pectore* cum verbo *ostentabat* coniunctum, an participio aliquo sive adiectivo simul cogitando ad cicatrices ducendum sit hoc modo: cicatrices adverso pectore acceptas sive conspicuas.) *Maturum* confecto cibo *sanguinem* II. 32. *Fusis Auruncis victor* tot intra paucos dies bellis *Romanus promissa . . . exspectabat* II. 27., quo loco si verba: *victor*, quod adiectivi locum tenet, et *Romanus* se-

des suas mutarent, ea structura efficeretur, quam appositionem vocant. *Pessimi* proximo bello *exempli* II. 45. *Pro eximia* eo bello *opera* II. 47. *Egregius* quibus libet temporibus *senatus* II. 49. *Non sui* magis fiducia *praesidii quam voluntate principum* XXIII. 15. *Ut quisquam* ex Cannensi acie *miles Romanus superesset* XXV. 6. *Huius* atrocitas *poenae duarum nobilissimarum in Italia Graecarum civitatium* XXV. 8., quae verba noli comparare cum Ciceroniano illo *huius auctoritatem loci*, nam omnia hic pendent e significatione pronominis *huius*, quae apud Ciceronem alia est. — Saepe etiam adverbiis, praecipue temporis, interpositis talia: *Haec* tum *sacra* I. 7. *in duobus* tum *exercitibus* 24. *latae* deinde *leges* II. 8. *quadraginta* deinde *annos* I. 15. *insigne* iam *documentum* I. 28. *plenis* repente *portis* I. 14. *multarum* circa *civitatum* I. 17. *exprobrantes suam quisque alius* alibi *militiam* II. 23.

Alterum genus est eorum verborum, quae neque ad substantivum neque ad adiectivum referri possunt, inter quae collocata sunt, quo more Cicero videtur plane abstinuisse. Huc refero haec hisque similia: *persecutusque fusos* ad moenia *hostes urbe valida muris ac situ ipso munita abstinuit* I. 15. h. e. fusos hostes usque ad moenia persecutus. *Omnis* te *exempli documenta in illustri* posita *monumento intueri*. Praef. *quum fluitantem alveum . . . tenuis* in sicco *aqua destituisset* I. 4. *Manifestae* reum *caedis* 7. *Divini* auctor *iuris* 42. *Ab Albanorum* stirpe *regum* 23. *Quum grandinem* venti *glomeratam in terras agunt*. 31. *Si tua* re subita *consilia torpent*. 41. h. e. si tua consilia torpent propterea quod res subita est. *Sub eius* obtentu *cognominis*. 56. *Concitat calcaribus equum atque in ipsum* infestus *consulem dirigit*. II. 6. *Circumferens inde truces* minaciter *oculos*. 10. *Insignisque inter conspecta cedentium pugnae terga obversis cominus ad ineundum proelium armis*. ibid. *Quae quum in obiecto* cuncta *scuto haesissent*. ibid. *Magnus* plebem *metus incessit*. 18. *In hac* tantarum exspectatione rerum *sollicita civitate*, ibid., quo loco hac vocabulorum interpositione dubium fit, quo praepositio *in* sit ducenda. *Ludi forte* ex instauratione *magni parabantur*. 36. *Cuius* originem *moris*. 14. *Prope quotidianas* in urbe agrisque ostentantia *minas*. 42. *Cuius* initio *anni quum foris otium esset*. III. 30. *Quum clausis* Andranodorus *insulae portis hereditatem regni creverit*. XXIV. 25. *Cum duobus millibus Gallorum* Poenus *in tres divisis partes per urbem dimittit Tarentinos*. XXV. 9. Huius loci etiam hoc esse puto: *Per aliorum* quietem *malorum*. III. 16., nam si forte quis ingratum verborum similium sonum ab Livio vitatum esse dicat, equidem hoc de Cicerone valere concedam, quamvis ne hic quidem semper talia vitet; sed Livio eadem cura fuisse non videtur, qui paulo ante hunc locum scripsit: *interficiendorum tribunorum*.

Si genitivus alicuius substantivi sive pronominis loco adiectivi est, eodem modo verba interponuntur: *Cuius civitatis* eam *civis Dianae immolasset*. I. 45. *Se utilitatis* id magis *omnium causa censere*. I. 52. *Quorum* vetustate *memoria abiit*. II. 4. h. e. quorum memoria vetustate abiit. *Quorum* in regno *libido solutior* fuerat. 3. h. e. quorum libido i. r. s. f. *Spem* in perpetuum cum iis *pacis amitteret*. 5. h. e. spem pacis cum iis (faciendae) in perpetuum a.

Maxime vero insignis oratio Livii eo fit, quod verbum sive finito modo sive in infinitivo positum (nam de participiis infra dicendum erit) suo loco movet et inter substantivum et adiectivum collocat. Inde ille color poeticus, quo quum omnes libri eius tum prae ceteris primi ita excellunt, ut scriptor interdum carminis alicuius verba quaedam mutasse et versuum vinculis solvisse videatur. Cicero quidem ipse hoc more non omnino abstinuit, ut verba, quae plerumque enunciata concludunt, alio loco posuerit, sed vix apud eum ullum locum inveneris, quo id non certa de causa sit factum. Nam aut ipsa orationis vis hoc requirit aut numerus oratorius aut studium numeri poetici vitandi. Hic quum Verr. L. I. 22. sic scribit: *Socii vero nationesque exterae spem omnium tum primum abiecerunt rerum ac fortunarum suarum*, nemo est qui non videat tres illas notiones verborum *omnium*, *tum primum*, *abiecerunt*, quod juxta se posita sunt augeri indeque indignationem, quam orator movere studet, excitari. Idem in epistola ad Lucceium quum his verbis utitur: *genus enim scriptorum tuorum . . . me ita vel cepit vel incendit, ut cuperem quam celerrime res nostras monumentis commendari tuis*, (quo exemplo utitur Zumptius in Gr. L. 788.), praeterquam quod in epistolis oratio negligentior est, non sine causa pronomen *tuis* in fine posuit, ut ex ipso loco appareat hoc pronomen et ad *scriptorum tuorum* et ad *res nostras* respicere. Apud Livium contra tam frequens hic usus est, tamque omni causa, quam quidem in ipsis verbis cernere possimus, carens, ut hanc non consilii sed consuetudinis rem esse manifestum sit. Quodsi quidem in ipsa praefatione haec verba legimus: *in magno equidem ponam discrimine*, erit fortasse qui versus heroici exitum vitatum esse dicat, quamquam aliter etiam vitari potuit. Huius rei autem nihil est in his: *In ceteros* saevitum esse *Troianos*. I. 1. *ea* tenebant *loca* ibid. *triginta ferme* interfuere *anni*. 3. *eam submissas infantibus adeo mitem* praebuisse *mammas*. 4. *ea* tenuerant *loca*. 5. *novos* transsiluisse *muros*. 7. *Evander tum ea profugus ex Peloponneso* regebat *loca*. ibid. *ita rem* coalescere *concordia posse*. 11. *transversam* invadunt *hostium aciem*. 14. *tam denso regem* operuit *nimbo*. 16. *perenni* rigabat *aqua*. 21. *mitiores* placuisse *poenas*. 28. *ac velut captos* relinquerent *deos*. 29. *crebri* cecidere *coelo lapides*. 31. *accepisse id augurium laeta* dicitur *Tanaquil*. 34. *in familiaris amicitiae* adduxerat *iura* ibid. *annui* mansere *ludi*. 35. *aedificanda* divisa sunt *loca*. ibid. *suoque insignes* relinquere *nomine*. 36. *simul et aliquod* addere *urbi decus*. 45. *vivo* perfunderis *flumine*. 45. *si sibi eum quo digna esset dii* dedissent *virum*. 46. *aut aliud* spectare *mulier scelus*. 47. *cum colonis suis in Romanum* cesserit *imperium*. 52. (versus pentameter). *vana accresceret fides*. 54. *anxiis* implevit *curis*. 56. *decorum erat tum ipsis* capessere *pugnam ducibus*. II. 6. *ingenti pontem* obtineret *gradu*. 10. *quam quum velut alienato ab sensu* torreret *animo*. 12. *a mitiore* crevisse *principio*. 14. *intestino in patres plebemque* flagrabat *odio*. 23. *tumultuoso* advolant *nuntio* 24. *orare, ut tantis circumventam terroribus* expediret *rem publicam*. ibid. *ne in foro subitis* trepidaret *consiliis*. 28. *munitissimis* tenuerunt *locis*. 31. *longinquis* coegerant indigere *auxiliis*. 34. *medio* egerat *circo*. 36. *ubi abductas* senserant *legiones*. 48. *nec agi quidquam per infrequentiam* poterat *senatus*. 23. *omnes finitumos* subigi *populos posse*. 49. *quam-*

quam rara hostium apparebant *arma.* 50. Haec ex libro I. et II., quibus ex iisdem libris plura etiam addi possunt. Sed in reliquis etiam libris idem est usus, licet non tam frequens esse videatur. Sic: *aut vanas exterritis* ostentavere *species.* III. 5. *pacemque* exposcere *deum.* 7. *tribunos ipsos cetera* pati *sine interpellatione concilia habere.* 14. *quattuor iugerum* colebat *agrum.* 26. *subitarium* scribere *exercitum.* 30. *sed expertas primo Punico* conferebant *bello.* XXI. 1. *atque in paternas* succederet *opes.* XXI. 3. *Tarentini Romanos ad diripiendam urbem* credere *coortos.* XXV. 10. *nihil autem utilius Graeciae civitatibus esse quam utramque* complecti *amicitiam.* XXXV. 46. *Romanos victores deserti fuga hostium* acceperunt *tumuli.* XXXVIII. 21. *mansuetiora* fieri soleant *hominum ingenia.* XLI. 4.

His accedunt multi loci, quibus participium sedem a Ciceronis usu plane alienam tenet; quo tamen non tam eos refero, quibus participium ita post adiectivum positum est, ut aliqua ratione huius vis augeatur, qualis est: *et deorum assidua* insidens *cura.* I 21., in quibus verbis si hac collocatione effectum esse dicas, ut eadem notio ac si *cura assidue insidens* dixisset, oriretur, nihil equidem adversor; sed eos maxime, in quibus eiusdem collocationis nulla ratio constat. Huius generis talia sunt: *in illustri* posita *monumento.* Praef. *in cultum* versam *deorum.* I. 21. *ab situ* porrectae *in dorso urbis.* 3. *huic* deditis *ludicro.* 5. *sed aliis alio itinere* iussis *certo tempore ad regiam venire pastoribus.* 5. *ubi primum ex profundo* emersus *palude.* 13. *his immortalibus* editis *operibus.* 16. *humano* superpositum *capiti decus.* 34. *secretis viri alieni* assuefacta *sermonibus.* 46. *ad* indicandam *tanti imperii molem.* 55. *in servili* tamdiu habitos *opere.* 57. *Superbo* exacto *rege.* II. 1. *Romanis* fulti *viribus.* III. 6. *terra ingenti* concussa *motu est.* 10. *ob iram* interfecti *ab eo domini.* XXI. 2. *in pudorem tam parvae* perimentis *pestis versi.* XXXVIII. 21.

In plurimis exemplis, quae attulimus, ipsa rei ratio hoc secum fert, ut nomen adiectivum priorem locum teneat, substantivum sequatur; qui verborum ordo etiam servatur, si nihil inter utrumque interpositum est. Quod quum etiam a Cicerone saepius factum sit, nihil de hac re videretur monendum, nisi Livius etiam participiis substantivum explicantibus plerumque priorem locum daret. Id eo magis a more Ciceroniano abhorret, quo frequentius Livius participiis utitur quoque magis aliis explicationibus per vocabula relativa factis abstinet. Quodsi participio tali nihil praeterea additur idque magis ad naturam adiectivi accedit, hic usus minus insignis videtur. Exempla huius generis, quae ex quavis pagina plura colligere possis, praeter ea quae iam supra attuli, huiusce modi sunt: *solemne adlatum ex Arcadia.* I. 5. *ita Numitori Albana permissa re Romulum Remumque cupido cepit.* 6. (in Alschefskii editione ex Codd. mutatus est ordo verborum: *Albana re permissa.*). *reddita inclusarum ex spelunca boum vox Herculem convertit.* 7. *addunt pavorem mota e castris signa eorum.* 14. *sui protegendi corporis memor.* II. 6. Sed si participiis alia nomina substantiva aut in casu dativo sive ablativo posita sive per praepositiones adiuncta, aut in casu accusativo ex ipsis participiis pendentia adduntur, oratio insolentior fit. Huc refero tales locos: *Haud facile credebant plebem suam impelli posse, ut* toties infeliciter tentata arma *caperent:* multis sae-

pe bellis pestilentia postremo amissa iuventute *fractos spiritus esse*: *arte agendum* in exoleto iam vetustate odio, *ut recenti aliqua ira exacerbarentur animi.* II. 35. extr. *pacem deum exposcentium virorum mulierumque turba.* III. 5. extr. *ad arcendum populationibus hostem.* XXV. 9. *ignem . . imminentibus muro aedificiis iniecit.* II. 33. *ex incultis per secessionem plebis agris.* II. 34. (Hic verborum ordo paene ad illam structuram accedit, quae a Zumptio Gram. p. 640. §. 794. recte vituperatur; quod si tamen ab eodem adiicitur, quum vitiose dici *ad praesidiis firmanda moenia* docuerit: dies kann nur heissen: *ad moenia praesidiis firmanda*, hoc solum de comparatione cum illo vitioso verborum ordine valet, nam ex more Livii certe dici etiam potest: *ad firmanda praesidiis moenia.*) *Romulus Silvius a patre accepto imperio regnat.* I. 3. *non dolore solum tantae ad irritum cadentis spei.* II. 6. *quum promptum hoc ius velut ex oraculo incorruptum pariter ab iis summi infimique ferrent.* III. 34. h. e. quum hoc ius velut ex oraculo promptum summi infimique pariter ab iis incorruptum ferrent. *Immenso aliarum super alias acervatarum cumulo.* ibid.

Huius usus participiorum, ut supra iam commemoravimus, ea maxime causa est, quod Livius participiis vel ipsis adiectivis utitur ad idem enunciandum, quod Cicero adhibitis vocabulis relativis efficere studet. Huc etiam pertinet usus interpositionis sive parenthesis. Quae quum interprete huius rei Quinctiliano efficiatur, dum continuationi sermonis medius aliquis sensus intervenit: *Ego quum te (mecum enim saepissime loquitur) patriae reddidissem,* in sermone quotidiano sicut in orationibus, quae ut habeantur non ut legantur factae sunt, vix ullum locum habet. Nam difficile est pronunciationis et soni varietate sola indicare verba quaedam non continuati sermonis esse, sed per se enunciari. Ita fit, ut in Ciceronis orationibus non multae inveniantur; nam quae in editionibus nostris signo illo parenthesis notantur, maximam partem verae parentheses non sunt, quum vocabulorum relativorum auxilio ad continuum sermonem adnectantur, ut hoc: *Si, quod Iupiter omen avertat, hunc vestris sententiis afflixeritis.* p. Mur. 41. In reliquis eius libris inveniuntur quidem, maxime in dialogis, ubi res hoc fert, ut ex alterius persona loquatur, v. c. *ne hic sibi (me appellabat iocans) hoc licere putet soli.* Acad. IV. 6.; sed nihil aliud continere solent, nisi quae alio modo dici plane non possunt, ideoque conformationem ipsam orationis non attingunt. Livius contra, cui in continua narratione occasio alicuius rei interponendae non saepe oblata est, nihilo minus parenthesium est amantissimus, quae prope omnes, si vocabulum relativum adhibere voluisset, tollerentur. Multa earum exempla colligere non huius loci est, praesertim quum in editionibus librorum Livianorum signo illo notatae iam e longinquo conspiciantur atque ita faciles inventu sint. Sed quum non omnium sit eadem ratio, quae genera frequentissima sint breviter exponam. Primum genus dico, si verba interposita per particulam aliquam adnectuntur, ut: *bellum cum Veientibus (iam* enim *induciae exierant) aliisque Etruscis sumtum.* I. 42. *quo cupide oblato (*adeo *civitates eae perpetuo in Romanos odio certavere) bellum summa vi parabatur.* III. 4. *si quis hospitio civis Romani (vacuas* autem *tenebant domos) nomen inscripsisset.* XXV. 10. *dare Quinctio subitarios milites (*ita *tum repentina auxi-*

lia appellabant) iussi. III. 4. Alterum, si parenthesis a particula *et* incipit: *omnia aedificia (et frequenter ibi habitabatur) circumiecta muris incendit.* IX. 28. et quos locos Drakenborchius ibi affert: IX. 44. XXI. 12. XXVII. 1. Tertium, si nomen proprium aliquod aut additur aut explicatur, in quibus plerumque additur pronomen *is: Octavio Mamilio Tusculano (is longe princeps Latini nominis erat, si famae credimus ab Ulixe deaque Circe oriundus) ei Mamilio filiam nuptum dat.* I. 49. *Q. Fabium praetorem (is filius Consulis erat) Luceriam Gracchо succedere iubet.* XXIV. 12. *ad Olympium (Iovis id templum est) . . . castra posuit.* XXIV. 33. *ad Galam in parte altera Numidiae (Massyli ea gens vocatur) regnantem legatos mittit.* XXIV. 48. *inde esse ostium fluminis praealti (Meduacus amnis est): eo invectam classem subire.* X. 2. *sex millia aberat ab urbe nobili templum (ipsa erat urbe nobilius) Laciniae Iunonis.* XXIV. 3. Quartum denique idque Livii maxime proprium, si verbis interpositis earum rerum, quae proxime sive antea sive postea narrantur, ratio redditur: *Spoliis hostium (votum id Vulcano erat) ingenti cumulo accensis.* I. 37. *frumentum ex agris Metapontino atque Heracliensi (iam media aestas exacta erat et hibernis placebat locus) comportat.* XXIV. 20. *Murum per inaequales ductum colles (pleraque alta et difficilia aditu, submissa quaedam et quae planis vallibus adiri possent) ut cuique aptum visum est loco, ita omni genere tormentorum instruxit.* XXIV. 34. Haec de parenthesi. Quae de reliquarum orationis partium collocatione dicenda restant, hoc tempore praetermitto.

